ponto accipitur. **I**si. aut. li. xv. dicit. q. incipit a flumine tbanai descendens ad occasum per septentrionalez oceanum vsq. ad fines hispanie. cuius pars orientalis et meridiana a ponto consurgens tota mari magno coniungitur et in insulas cades finitur. **P**rima ergo regio europe est scythia inferior que a meotidis paludibus incipiens. inter danubium et oceanum septentrionalem vsq. ad germaniam porrigitur ut dicit **I**si. li. xv. Et hec terra propter barbaras gentes specialiter barbaria nuncupatur. et sunt gentes in uniuerso ut dicit orosius. liij. Inter quas prima est alania que ad meotides paludes pertingit post gothia. deinde dacia. et post germania. deinde gallia et britannica insula et orcadis et insule multe. tandem hispania minor in cuius finibus finitur europa ex partibus occidentis. a parte autem superiori habet multas et maximas regiones scilicet pannoniam mesiam traciam greciam cum finibus suis. ytaliam cum insulis et terminis suis. **H**ec mundi particula et si sit minor quam asia. ei tamen par est in populorum numero et generositate. populos enim ut dicit **P**linius alit corpore maiores viribus fortiores. animo audaciores. forma et specie pulchrioris quam faciunt alie vel affricę regiones nam solaris estus adurens propter eius permanentiaz super africos illos efficit consumendo humores corpore breuior. facie nigrior. crine crispior. et propter euaporationem spirituum per apertos poros animo defectior. **C**ontrario vero est apud septentrionales. nam ex frigiditate poros extrinsecus opilante generantur humores in corpore et efficiuntur homines corpulentiores et ex ipsa frigiditate que mater est albedinis in exterioribus albiores et ex repercussione vaporum et spirituum ad interiora efficiuntur calidiores interiorius. et per consequens plus audaces. homines vero alie quorum regio prima est ab oriente mediocriter in hoc se habent. ut dicit **P**linius.

**De eiulath.**

**Capitulum. l.**

**E**iulath prouincia est in superiori india ab oriente incipiens et longo terrarum tractu versus septentrionem se diffundens. **D**icta est eiulath a filio heber patriarche iudeorum sicut dicit glo. super gen. j. et x. ubi dicitur quod inter filios heber proiectan eiulath nominatur. hanc regionem profluit ganges fluuius qui alio nomine phison in libro geneleos nuncupatur. que

**P**linius nimis extollit laudibus libro. iij. c. x. ubi dicit quod ganges indicus fluuius multos vel quasi infinitos in se recipit amnes et nauigabiles ut ydapsen. cantabiam. ysepim. et multos. nec est unquam latior quinquaginta stadiis. nec profundior vel altior quindecim passibus. **H**ic fluuius circuit terram eiulath. in qua abundant aurum et species aromaticę ut bdelium. et gemme preciose ut onichinus et carbunculus. et huiusmodi ut dicit idem et glo. super genes. **I**n hac terra sunt multe regiones partiales in quibus potissime elephanzorum dicitur abundare multitudo.

**De ethyopia.**

**Capitulum. liij.**

**E**thyopia a colore populi est primitus vocata quos solis vicinitas tenet ut dicit **I**sid. xv. **T**emum vim sideris prodit hominum color. **E**st enim iugis estus. nam quicquid est sub meridiano cardine est circa occasum motuosa. circa mediam vero arenosa. ad orientalem vero eius plagam maxime deserta est cuius situs ab occasu montis atlantis ad orientem vsq. in fines egypti porrigitur. a meridie oceano. a septentrione nilo flumine clauditur. plurimas habens gentes diuerso vultu et monstruosa facie horribiles ferarum quoque et serpentum multitudine est referta. **I**llic quoque rinocerotus bestia cameleon et basiliscus dracones ingentes ex quorum capite gemme extrahuntur. **J**acinthus et crisoprasus ac topasius et alie gemme plurime in illis partibus reperiuntur et cynamomum ibi colligitur. **D**ue autem sunt ethyopie. una circa ortum solis. alia est in mauritania circa occasum. **E**t illa hispanie magis est vicina. deinde numedia. tandem cartaginensis prouincia post est getbulia et ultimo contra cursum solis in meridie est ethyopia exusta. ultra quam dicunt fabule esse antipodes ut dicit **I**sid. li. xv. cuius sunt verba superius de ethyopia hic inserta. **D**icit etiam idem li. ix. ethyopes a filio chus sunt denotati. ex quo originem contraxerunt. **C**hus bebrica lingua ethyops dicitur. **H**ic quodam a flumine nili surgentes iuxta egyptum inter nilum et oceanum in meridie sub solis vicinitate insederunt quorum multi sunt populi sicut heperi. ex parte occidentis garamanti et trogodite et ceteri de quibus narrat **P**li. li. v. c. x. **E**thyopum gentes a quodam nigro flumine sunt vocate quod flumen eiusdem est nature cum nilone. nam consimiles gignit calamos et papiros.

Eodemque tempore augetur. In eius desertis monstruosi vigent homines. nam quidam solē orientem et occidentem dura impetione. i. male dictione influunt. quare continue maledicunt soli. propter eius ardorem eis valde grauem. Alij vt trogodite specus excauat et illos loco domorum inhabitant. serpentes comedunt et omne quod mandi potest. quibus stridor potius est quam vox. alij velut pecudes matrimonij sunt exortes passim sine lege cum mulieribus habitantes et tales dicuntur garamantes. alij incedunt nudi et nullo exercitio occupati. et illi dicuntur graphasantes. alij qui et blennij dicuntur. tradunt caput non habere sed os et oculos habent pectori insitos et infixos. Sunt et satiri qui figuram solum habentes humanam quo ad mores sunt penitus inhumani. Sunt etiam in ethyopia mira alia vt dicit idem li. vi. ca. xxxj. Sunt inquit multi ethyopes apud quos omnes bestie quadrupedes nascuntur sine auribus et etiam elephantes. alij sunt qui canem pro rege habent. cuius motu auguriantes faciunt quod videtur. Sunt et alij qui ternos vel quaternos dicuntur habere in fronte oculos. non quod ita sit in natura sed hoc fingitur. quia precipua sagittarum contentione vtuntur. quidam ex eis pantberas et leones venantur et eorum carnibus viuunt. quorum rex vnum solum oculum in fronte habet. Alia gens ethyopum solis locustis viuunt fumo et sole induratis. et hi. xl. annum non excedunt.

De egypto.

Capitulum. liij.

**E**gyptus que prius

dicebat erea ab egypto danay fratre postea ibi regnante nomen accepit. hec ab oriente syrie rubro mari iuncta est ab occasu libiam habet. a septentrione mare magnum a meridie introitus recedit protendens se versus ethyopes vt dicit ysidorus. li. xv. Est autem regio celi ymbribus insueta pluuiarum ignara. nylus solus eam circumfluens irrigat. et sua inundatione fertilem efficit et fecundat. vnde ferax frugibus. multam partem terrarum frumento alit ceterorumque negotiorum adeo est copiosa. vt necessarijs mercibus impleat pene orbem. Finis egypti est canopia a canope menelai gubernatore ibi sepulto sic dicta hucusque. ysidorus. li. xv. Hec primitus mepphayna a filio cham nominata est vt dicit ysidorus. li. ix. Hec regio multas habet prouincias particulares et valde famosas ciuitates sicut est nemphis ab epaso iouis filio edificata et raphnes metropolis egypti. heliopoos et alexandria et multe alie vt dicit ysidorus. li. xvj. Secundum

orosium autem duplex est egyptus scilicet superior et inferior. Superior que in oriente per longum extenditur. cui est a septentrione sinus arabicus. a meridie oceanus. nam ab occasu ex egypto inferior incipit. que ad orientem rubro mari terminatur. xxiiij. continens nationes. habet autem deserta multa egyptus superior. in quibus sunt multa monstra et animalia monstruosa. ibi paridi et tigrides. ibi satiri basilisci aspides horribiles et serpentes. nam in finibus egypti et ethyopie iuxta fontem tigris vbi caput creditur esse nili qui egyptum preterfluit. nascitur quedam fera nomine cacothephas. que quidem corpe est modica et membris iners atque pigra. caput habens valde graue propter quod semper desert illud ad terre superficie inclinatum. quod a natura saluti mortalium est periculum. Tante ei venenositatis est et pernicietis quod nullus eandem recte in facie videre posset quin statim sine remedio expiraret. eadem enim vis est serpenti qui dicitur basiliscus vt dicit ysidorus. li. viij. ca. xxij. In egypto enim maxime abundant cocodrilli ypotami. id est flumiales equi et potissime circa flueta Nili.

De ellade.

Capitulum. liij.

**E**llas elladis pro

uincia est grecie in europa. a rege helena deucalioidis filio primo vocata a quo et primo ellenes greci sunt vocati. et in hac prouincia est atthica gens vbi quondam fuit atthensium ciuitas mater liberalium artium. philosophorum nutritrix. qua quondam nihil habuit grecia carius nihilque nobilior cuius primo achaiia prouincia est vicina vt dicit ysidorus. li. xv. Huius elladis duplex est prouincia. scilicet boecia et peloponnesus. De priore. scilicet boecia supradictum est. De alia post dicitur. Huic elladi subiacet bellespontus vbi multa sunt valde mira vt dicit ysidorus. li. vi. ca. iij. Iuxta inquit bellespontum dixit tragis pgameus esse genus hominum quos ophiogges vocat. quorum contactu sanantur ictus hydropentum. et sola manu apposita extrahuntur mortifera sunt venena. Dicit et varro ibi adhuc esse aliquos quorum saluae medentur contra ictus anguillarum et serpentum. Est autem bellespontus maris mediterranei sinus vt dicit ysidorus. li. xiiij. in septentrione retroquens magnis amfractibus iuxta greciam et yiricum in angustias septem stadiorum constrigitur. vbi xerxes rex fecit pontem de nauibus et sic in greciam remeauit. dilatatur autem aqua et facit propontidem qui mox in quinquaginta passibus coartatur. Denominatur autem sinus ab belle sorore fratri. que fugiens

nouercales insidias decedit in mare 7 mortua ē  
cuius casus belle sponti 7 mari 7 terre in circu-  
tu nomen dedit.

De eola.

Capitulum. lvi.

**H**ela insula syci-  
lie ab eolo ypotis filio quem poete  
finxerunt deum fuisse ventoz est vt  
dicitur appellata. Hoc autem ideo dictus ē. qz  
ipse fuit rector illarum insularum. 7 quia earum  
nebulis 7 fumosis vaporibz futuros p̄dicebat  
ventus. ab impertis visus est ventos retinuisse  
in sua potestate vt dicit Isid. li. xv. Dicunt autē  
nouem insule eole dicte. ab eodem autem vul-  
cane sunt dicte eo qz in eis ardeat ignis sicut in  
monte ethne vt dicit idem. Et sunt singule in-  
sule pprijs nominibus nuncupate. quarum p̄-  
ma dicitur lippata. secunda getha ab altissimis  
collibus sic vocata. tertia strogile. quarta tedy  
7 sic de alijs.

De francoia.

Capitulum. lvj.

**F**rancia ger-  
manie est prouincia in europa. a frā-  
cis illius regionis incolis nominata.  
cuius metropolis herbipolis est vocata. sita su-  
per amnem mogum. ab oriente habet thurin-  
giam saxonum. a meridie danubium 7 bauariā  
ab occasu sueniam 7 alsaciam. a septentrione re-  
nensem prouinciam. cuius metropolis est mo-  
gantia sita super rhenum quem mogus ibi sub-  
inrat. Est autem terra optima secunda frugi-  
b? 7 vinifera. siluis decora. oppidis 7 castris mu-  
nita 7 plurimum populosa.

De francia.

Capitulum. lvij.

**F**rancia que 7 gal-  
lia a francis germanicis primitus vt  
dicitur nominata vt a franco carnifice  
qui successit in regem parisius d quo carnifices  
privilegiati sunt erga regem. 7 ab illo franco est  
francia nominata. ab oriente habet limitem flu-  
minis rheni 7 germaniam. ab euro habet alpes  
penninas. a meridie habet prouinciam narbo-  
nensem. a circio oceanum britannicum. a septē-  
trione insulam britannicam. 7 hec francia quon-  
dam gallia bellica a ciuitate que belgis dicitur  
est vocata. vt dicit Isid. li. xv. 7 Orosius. Hec  
francia glebam habet vberem. arborum vinea-  
rum fructuum ac frugum vertilem. fluuiozum 7  
fontium affluentia insignem. quam duo flumi-  
na nobilissima perfundunt in extremis eius scz  
rhodanus 7 rhenus. vt dicit Isid. li. xv. Lapides

7 lapidinas habet nobiles. 7 ad construenda  
edificia singulares. 7 potissima parisiozum solū  
quia in gipso siue vitro ab incolis vulgariter di-  
cto plastro p̄excellit. nam terra est vitrea 7 per-  
spicua virtute minerali in lapidem transmuta-  
ta qui lapis exustus 7 cum aqua tempatus cō-  
uertitur in cementum vnde fiunt parietes 7 edi-  
ficia. testudines 7 multiplicia panimēta. 7 hmoi  
cementum positum in opere 7 plasmatum siue  
tritum. ad modum lapidis iterum induratur. 7  
cum multas habeat francia nobiles 7 famosas  
ciuitates. parisus inter omnes merito obtinet  
principatum. nam sicut quondam atbenarum  
ciuitas mater liberalium artium 7 literarū phi-  
losophozum nutritrix 7 fons omnium scientiarū  
greciam decorauit. sic parisus nostris tempori-  
bus non solum franciam. imo totius europa p̄-  
tem residuam in scientia 7 in moribus sublima-  
uit. nam velut sapientie mater de omnibus mū-  
di partibus aduenientes recolligit. omnibus ī-  
necessarijs subuenit pacifice omnes regit 7 tan-  
qz veritatis cultrix debitorum sapientibus 7 in-  
sapientibus se ostendit vrbis locuplex diuitijs 7  
opibus prepotens. pace gaudens. aere 7 flumi-  
ne philosophantibus congruens. campozum  
pratorum 7 montium pulcritudine fessorum in-  
studio oculos recreans 7 reficiens. vicoz 7 do-  
morum aptitudine studentibus maxime com-  
petens. Et nihilominus ad refectōnem 7 rece-  
ptionem omnium aliozum ipsam frequentatius  
ē sufficiens vniuersas alias vrbes in his p̄simili-  
bus p̄excellens.

De flandria.

Capitulum. lvij.

**F**landria ē prouī-  
cia gallice belgice iuxta litus occēa-  
ni constituta habens germaniaz ab  
oriente. insulam britannicam a septentrione ab  
occidente mare gallicum. a meridie galliam se-  
nonensem 7 burgundiam. Hec prouincia q̄nis  
situ terre sit paruula multis tamen bonis singu-  
laribus est refarta. Est enim terra pascuis vber-  
rima 7 armētis 7 pecudibus plena nobilissimis  
oppidis 7 portibus maris inclita. amnibus fa-  
mosis scz scaldeleia vndiqz irrigua 7 pfusa. gēs  
eius elegans corpore 7 robusta multiplex in so-  
bole 7 in substantia in omnium meritum diui-  
tys locuplex. venusta facie generaliter 7 decora  
affectu pia affatu blanda. gestu matura. habi-  
tu honesta. erga domesticos pacifica. erga ex-  
traneos valde fida. arte 7 ingenio in opere lani-

fico preclara. cuius industria magne parti orbis in lanificio subuenitur. nam preciosam lanam quam sibi anglia comunicat in pãnos nobiles subtili artificio transmutans p mare 7 terrã mltis regionib; administrat. Est autem terra plana 7 frugifera in multis locis. multas quidem habens arbores non tamen multas siluas. gaudet quibusdam locis palustribus in quibus effodiuntur glebe que siluarum suppleunt defectũ q̄ ad igniũ s̄ incrementum. nam ex his calidis 7 siccis solet ignis fieri magis efficax q̄ ex lignis sed inutilior 7 vilior quo ad cinerem. grauior q̄ ad redolentiam 7 odorem.

De puincia fenicis. Capitulū. lix.

## **F**enicia prouicia

a fenice fratre cathini est vocata. qz fenix de glebis thebis egyptiorum i syriam profectus apud sydonem regnavit 7 ex suo nomine feniciam appellauit. ipa est vbi est thyrus contra quã loquitur Isa. vt di. Ili. lib. xv. 7 ix. bec habz ab oriente arabiam. a meridie mare rubrum. ab occidente mare mediterraneũ. a septentrione montem libanum. vñ terra optima est arboribus precipua. in frugibus 7 fructibus terra fecundissima lactis olei mellis. Terra est montuosa 7 campestris irrigua fontibus et aquis. in cuius montibus metalla diuersi generis fodiuntur.

De frigia. Capitulū. lx.

## **F**rigia minoris

asie est prouicia sic dicta a frigia europa filia regia vicina gallacie ex pte aquilonis. licaonie ho ex pte meridiei. Lidie ho ex pte adheret in oriente. ab aquilone ho mari hellesponti terminatur. vt dicit Ili. li. xv. Sunt autem due frigie maior que hz s̄myrinam. minor que habet hylum. Lytoniam at diuidit flum; bernicis a frigia vt dicit idẽ. Frigia autem dardanica est appellata a dardano qui profectus de grecia cum dracio fratre suo frigiam obtinuit 7 ibi regnans a suo nomie frigiam dardanicam nominauit. Dracius autem drachiam occupauit.

De frisia. Capitulū. lxi.

## **F**risia est prouin

cia in inferioribus partibus germanie super litus oceani tractu lögissimo coliturã que a fine rbeni incipit 7 mari danico terminatur. cuius incole frisones a germanicis nuncupantur. In habitu autem 7 in mo-

ribus plurimum differunt a germanis. nam viri fere omnes in coma circulariter sunt attonsi qui quanto sunt nobiliores tanto altius circumtonderi gloriofius arbitrabantur. Est autem gens viribus fortis proceri corporis seueri animi 7 ferocis corpore agilis lanceis vtens ferreis pro sagittis. Terra plana pascuosa palustris 7 graminosa lignis carens. pro ignium fomento terre bituminosis cespitibus. aut bouum desiccatis stercorebus sepe vtens. gens quidem e libera ex gentẽ suam alterius dominio nõ subiecta. morti se exponit gratia libertatis. 7 potius mortem eligunt q̄ iugo opprimi seruitutis. 30 militares dignitates abiciunt 7 aliquos int̄ se erigi in sublime non pmittunt sub militie titulo. s̄ sunt tamen iudicibus quos annuatim de seipsis eligunt qui rempublicam inter ipos ordinant 7 disponunt. Castitatem multum zelant 7 omnẽ impudiciam seuerius punientes. filios suos 7 filias vsq; ad completum fere adolescentie terminum castas seruant ex quo contingit qz tunc temporis data nuptui iporum soboles prolem cõpletam generant 7 robustam.

De insulis fortunarum. Capitulū. lxij.

## **F**ortunate insu-

le in oceano sunt site contra lenam mauretaneæ occiduo prime 7 inter se interiecto mari discrete vt dicit Ili. li. xv. que ab omnium bonorum 7 p̄cipue messium 7 fructuum fecunditate fortunata insule sunt vocate quas gentiliũ error 7 carmina poetarũ p̄p̄ soli fecunditatem pacisum esse putauerunt vt dicit Ili. li. xv. Idẽ dicit pli. li. v. ca. xxiiij. 7 dicit ibi crescẽ arbores vsq; ad. cix. pedum proceritatem. In eis copia est pomorum 7 auisũ multitudi ibi mellis abundantia pariter 7 lactis et maxime in caprana insula a multitudine caprarum 7 arietum sic nominata. ibi canum mirabilis fortitudo 7 p̄cipue in canaria insula que e a multitudine canum ingẽtis fortitudinis 7 magnitudinis sic vocata.

De galilea. Capitulū. lxij.

## **G**alilea regio e pa

lestine sic vocata eo qz gignit candidiores homines q̄ palestina. bec at duplex est scz superior 7 inferior. 7 sunt contigue ad inuicem 7 conexe adherentes syrie 7 fe-

nici. vtriusq; gleba ferax est 7 optima frugibus fructib; 7 vineis 7 oliuis vbrima 7 fecunda aq; est irrigua. nam iordane flumine pfundit i aliq; sui pte. lacus habet nobiles maximos viles et salubres qui p sui magnitudine 7 piscium multitudine. maria nuncupantur. Est autem vt ait **Isi.** lacus tyberiadis sic vocatus ab oppido tyberiadis 7 est lacus cunctis salubrior ad sanitatem corpis efficacior habens stadia. x. quere supra de lacu tyberiadis. 7 de lacu genesar in tractatu de aquis 7 7 stagnis.

**De gallacia. Capitulū. lxxiij.**

**G**allacia est regio in europa a p̄scis galloꝝ gentibus ex quib; extitit occupata vt di.

**Isi.** li. ix. 7 xv. nam galli a rege bythinie in auxilium euocati regnum cum eo obtenta victoria diuiserunt sicq; deinceps grecis admixti primo gallo greci. nunc aute; ex antiquo galloꝝ nomine galli dicuntur 7 eoz regio gallacia nuncupatur. Est autem regio latissima 7 fertilissima europae continens magnam ptem que nunc rutenia a pluribus nominatur.

**De gallicia. Capitulū. lxxv.**

**G**allicia prouincia est in byspania a candore populi regionis sic nominata. p̄ ceteris eni p̄tibus byspanozum dicunt eē albiores. Terra dicitur frugifera oceano vicina. multis abundans bonis. hi grecam originem sibi scribunt. vnde 7 naturali ingenio valent vt dicit **Isido.** li. ix. nam post finem troyani belli plures ex grecis ad galliam sunt p̄fecti 7 ibi manent vsq; ad presens tempus.

**De gallia. Capitulū. lxxvj.**

**G**allia europae est prouincia inter pinneos montes 7 oceanum britannicū constituta que 7 a candore populi est sic antiquitus nuncupata. gala enim grece lac dicitur. 7 ido sybilla eos gallos. i candidos vocat dicens. tunc lactea cola auro innectunt. fm enim diuersitates celi et facies hominum 7 colores. animozum diuersitates existunt 7 cozporum qualitates. Inde roma graues generat. grecia leues. africa versipelles gallia natura feroces ingenioq; acres vt di. **Isi.** li. ix. Hec regio ab oriente habet germaniam. ab occidente byspaniam. a meridie ytaliaz ab aquilone p̄o oceano britannico terminat

vt dicit **Isi.** Hec quondam fuit tripharia scil; belgica celtica 7 togata. sed has prouincias fraeci nunc inhabitant. a quibus francia appellatur quere supra de francis 7 francia.

**De gadis. Capitulū. lxxvij.**

**G**adis insula ē in fine byspanie sita que diuisit africa ab europa i qua hercules posuit columnas mirabiles 7 insignes 7 inde tirreni maris fontibus oceani estus nutritur. Est autem a proxima terra. c. 7 xx. passibus seperata quas tyri de rubro mari p̄fecti occupantes. In lingua sua gadis. i. separatam nominauerunt pro eo qd mari sit vndiq; circumspecta. In qua crescit arbor palme similis. cuius gummi infectam vitrum ceraminiam gemmam reddit vt di. **Isi.** li. xv. Est autem insula fructibus 7 specieb; ditans multas partes orbis 7 precipue occidentis.

**De grecia. Capitulū. lxxviij.**

**G**recia a greco rege est vocata qui ipam regionem incoit 7 eam suo nomine nominavit vt dicit **Isi.** li. xv. Sunt eius prouincie. viij. ab occidente dalmacia. deinde epyrus. inde eladas. inde thessalia. post macedonia 7 postea achaia 7 duo in mari. screta 7 ciclades. est autē regio latissima multis alijs nominibus nominata terrarum 7 marium diuitijs opulenta. multozum regnozum domia militie nutritrix propheetie mater. inuentrix omnium bonozum. arcium magistra cuius gens fuit antiquitus bellicosissima dono sapientie 7 scientie p̄dita. sermōe disertissima. legibus subdita. pia circa extraneos. pacifica circa incolas. 7 domesticis quieta. contra hostium iniurias intolerabiles nimium infecta sicut in libro de grecozum laudibus narrat **Varro.**

**De gethulia. Capitulū. lxxix.**

**G**etulia africe est prouincia a grecis qui de grecozum sine gothozum p̄cesserunt reliquijs vt dicitur nominata vt di. **Isi.** li. ix. qui ingenti animo congregato nauigio vsq; ad libie pres p̄uenerunt. 7 ibi sedes suas vsq; bodie posuerunt 7 quia ex grecis venerunt deiuato noie gethuli nuncupati sunt 7 ido est opinio apud grecos

mauros ex illa gente sibi esse consanguineos et  
 appinquos ut dicit *Isti*. li. ix. Juxta istos habitant  
 geloni gens a meridie usque ad oceanum bispe  
 rium puigans in desertis et discurrans. his no  
 men gaulon insula dedit quod est iuxta ethyopiam  
 ubi nec serpens nascitur nec vivit ut dicit *Isti*.  
 Sunt etiam in fine africe populi quasi bestiales  
 qui garamantes dicuntur a garamate rege ap  
 pollinis filio nominati qui ibi ex suo nomine ga  
 rama oppidum condidit et construxit. de quibus  
 dicit *Pli.* quod vere a consortio humanitatis  
 sunt remoti.

De gorgonibus.

Capitulum. lxx.

**G**orgones sunt in  
 insule oceani obuerse. p. m. u. c. t. o. r. i. o. q. d.  
 vocatur vesperiferus quas incolue  
 runt gorgones femine aliti. i. veloci pernicitate  
 hirsuto aspero corpore et ex his fuerunt insule  
 nominate ut dicit *Pli.* li. xv.

De gothia.

Capitulum. lxxj.

**G**othia scythie in  
 ferions est puincia in europa que (ut cre  
 dit) a magog filio iaphet est vocata  
 ut dicit *Isti*. li. ix. vnde dicit quod veteres illas natio  
 nes magis gethas quam gothos nominauerunt et  
 fuit quondam gens fortissima mole corporum  
 ingens armorum genere terribilissima de quo  
 rum sobole maxime pars europa et asie creditur  
 populata. nam eorum soboles sunt dacii et mul  
 te alie nationes ex parte occidentis. Getuli in afri  
 ca amazones in asia ex gothorum prosapia pro  
 cefferunt. ut dicit idem *Pli.* li. ix. et xv. Est autem us  
 que hodie regio latissima ab aquilone habens nor  
 wegiam ac daciam in alijs eius lateribus mari  
 oceano circumdatur. Huic regioni adiacet in  
 sula quedam nomine gotblandia gothorum ter  
 ra dicta. quia a gothis fuit antiquitus habita  
 ta. et in sula frugifera. pascuosa plurimum et pi  
 scofa et multiplici genere mercium maxime nego  
 ciosa. nam pelles varie et ceterorum copie de re  
 gionibus diuersis ad illam insulam nauigio de  
 feruntur. et inde in galliam in germaniam in bri  
 tanniam et hispaniam per oceanum deducun  
 tur.

De guido.

Capitulum. lxxij.

**G**uidum est regio  
 in insula contra asiam inter syriam  
 et ytaliam. respiciens versus pam  
 philiam et ciliciam ex opposito contra cretam ut

patet in glo. sup. Actu. xxvij.

De india.

Capitulum. lxxij.

**I**ndia orientalis  
 est regio in asia sic ab indo flumine  
 quo clauditur ex parte occidentis di  
 cta. hec a meridiano mari per recta usque ad or  
 tum solis et a septentrione usque ad montem cau  
 casum puenit habens gentes multas et oppida  
 Insulam quoque trabo bathane. gemmis et ele  
 fantibus refertam. habet etiam grusam et arge  
 tam insulas auro et argento refertas et fecundas  
 Sunt etiam vites in arboribus quibus folia nu  
 que cadunt. Habet etiam india flumines nobilissi  
 mos gangem et indum et hypanem regiones in  
 dicas illustrantes. est autem india fauonio ven  
 to saluberrima. in anno bis fruges nutrit. gignit  
 quoque tincti coloris homines elephantem ingen  
 tes. monoceron bestiam psitacum aem. beba  
 num etiam lignum. cynamomum. piper et cala  
 ma aromaticum. Dittit et ebur lapides insup  
 preciosos berillos crisopassos carbunculos ada  
 mantes margaritas et vniones quibus nobilium  
 ardet ambitio feminarum. Ibi sunt montes au  
 rei quos adiri propter dracones et griphones et  
 vniuersorum hominum monstra impossibile est  
 ut dicit *Isti*. cuius sunt hec verba omnia supra  
 dicta ut patet libro. xv. Est autem india inter  
 omnes regiones orbis maior. opulentior po  
 tentior populosior. Unde mira de indoꝝ mul  
 titudine et potentia recitat. *Pli.* in li. vii. ca. xix.  
 dicit enim quod sunt multi reges in india quorum  
 aliqui habent. lx. cccc. milia armatorum. alij ha  
 bent sexcentos cuneos equitum. et nouem milia  
 elephantum qui per omnes dies stipendiantur.  
 vnde multarum opum est maxima coniectura.  
 alij habent peditum. lx. milia. et equum mille. elephan  
 torum septingentorum. et hi omnes ad procinctum  
 bellorum sunt parati. vnde patet quod terra est po  
 tens et opulenta. vnde ut dicit idem indoꝝ quidam tel  
 lurem exercent. quidam militiam capessunt. alij  
 merces suas euehunt. alij rempublicam populi  
 me temperant et regunt. alij regibus assident. alij  
 iudicia reddunt. quidam potissime religioni va  
 cant et intendunt sapientie discipline. et cum in  
 omnes regiones sit vastior atque maior per omni  
 bus est mirabilior. nam ut dicit *Pli.* li. vii. ca. iij.  
 India inquit in longo pertractu versus ethyo  
 piam in miraculis abundat. In india enim gi  
 gnuntur maxima animalia et canes ceteris gra  
 diosiores. Arbores enim tante proceritatis ibi cre  
 scere dicuntur ut sagittis superari nequeant. Hec  
 autem faciunt vbertas soli. reperiens celi et aban



dancia aquarum. Ficus arbor ibi tantum se p-  
tendit vt sub vnus latitudine multe turme mi-  
litum possunt discubere. Arundines ibi etiam  
tante sunt pceritatis. vt singula internodia al-  
neo nauigali ternos homines interdum ferant  
Sunt autem ibi homines magne stature alti-  
tudine quinqz cubitorum excedetes qui nec ex-  
puunt nec dolore capitis nec dentium nec oca-  
lorum languoribus afficiuntur nec ab imode-  
rato calore solis eorum corpa leduntur sed po-  
tius indurantur. Philosophi etiam eorum qz  
gymnosophistas vocant ab ortu diei vsqz in oc-  
casum stando in calidissimis arenis. solem imo-  
bilibus oculis intuentur. In quibus etiam mo-  
tibus sunt homines qui habent auersas plan-  
tas 7 digiti in pedibus sunt octoni. Sunt etiaz  
ibi canina capita habentes qui ferarum pelli-  
bus vestiuntur. tamen latrant vt canes. 7 aliter  
non loquuntur. venatu 7 aucupio viuunt. yn-  
guibus 7 dentibus sunt armati. in magna sunt  
multitudine plusqz centum viginti milia vt dic-  
idem. Sunt etiam in quadam gente indie femi-  
ne que nunqz pariunt nisi semel 7 geniti conse-  
stim canescunt. Ibi satiri 7 ceteri homines mo-  
struosi de quibus in tractatu de animalibz mo-  
struosis dictum est. Sunt 7 quidam homines  
in fine orientalis indie circa ortum ganges sine  
ore vestiti frondiū lanugine qui solo odore na-  
rium viuunt nec aliquid comedunt vl' bibunt.  
sed solum odore florum 7 siluestrium malorum  
naribus attrahunt 7 inde viuunt. in malo odo-  
re cito moriuntur. Sunt 7 alij qui diutissime vi-  
uunt 7 nunqz senescunt sed quasi in etate me-  
dia moriantur. Sunt etiam qui in iuuetute ca-  
nescunt 7 in senio nigrescunt. Hec 7 mltā alia  
recitat Pl. mira.

De yrcania.

Capitulum. lxxiiij.

## Yrcania ē regio

in asia sub iugis caucasi montis con-  
stituta. regio quidez est latissima ha-  
bens multas gentes. lingua 7 moribus differē-  
tes vt dicit Il. li. xv. Dicit etiam Prosius qz se  
extendit a monte caucaso vsqz in scythiam hñs  
gentes. xliij. que ppter terre infecunditatem lō-  
ge lateqz euagantur ex quibus quidam agros  
incolunt. quidam de venatōibz viuunt. qui-  
dam xō vt crudeles 7 bestiales portētuose car-  
nibus humanis viuunt 7 iporum sanguine bi-  
bunt vt dicit Il. li. xv. vbi subdit yrcania ē di-  
cta a silua yrcana que scythie subiacet habens  
ab oriente mare caspium. a meridie armeniam  
maiozem. a septentrione albanā. ab occasu sui

yberiam. est autem siluis aspa copiosa immani-  
bus feris pardis tigrilibus 7 pātheris. gignit  
etiam aues que dicuntur byrcane quarum pē-  
ne nocte placent. 7 tales etiam aues in germa-  
nia inueniuntur vt dicit Il. ibidem. Istius yr-  
canie populus deuicit Iohs. yrcanus filius sy-  
monis summi sacerdotis tempore machabeoz  
a quibus deuictis Iohannes yrcanus nomina-  
tus est vt dicit magister in hyst. in principio hy-  
storie euangelice. Idem dicit Hiero.

De ydumea.

Capitulum. lxxv.

## Ydumea regio ē

in arabia ab edom. id ē. ab esau filio  
ysaac noīata. Nā filij esau qz edom  
cognominatus est expulsis amozreis terrā illā  
inhabitauerunt 7 eam terram ydumeam. i. ter-  
ram filiorum edom deinceps vocauerunt. ē aē  
ydumea p quedam deserta a palestina separa-  
ta cuius fines vsqz ad mare rubrum se exten-  
dunt. est autem terra fortis 7 montuosa sub for-  
ti calore solis constituta. 7 ideo incole terre con-  
tra solis ardorem faciunt sibi domos subterra-  
neas 7 speluncas vt dicit glo. sup abdiam.

De iudea.

Capitulum. lxxvi.

## Iudea est regio

in palestina ex nomine inde appella-  
ta. ex cuius tribu reges habuit. hec  
prius chanaan ē dicta a filio cham siue a decē  
chananeorum gentibus quibus expulsis iudei  
illam terram possederant. Initium longitudis  
eius a vico arpha 7 vsqz ad vicum iuliacen por-  
rigitur. in quo iudeozum ac tiroz habitatio est  
cōmunis. latitudo autem eius a monte libani 7  
vsqz ad lacus tyberiadis se extendit. In medio  
autem iudee est ciuitas hierosolimorum quasi  
vmbilicus totius regionis. Terra variā opū  
diues frugibus 7 fructibus valde fertilis. aqz  
illustris. optima balsamis. abundans in metall.  
cedris palmis cypressis 7 alijs nobilissimis ar-  
boribus insignis. plena vineis malogranatis 7  
oliuis terra lactis 7 mellis. vnde fm gratā ele-  
mentorū iudei eam patribz repromissaz ter-  
ram fluentem lacte 7 melle putauerunt. cū hec  
illis resurrectōnis gloriā polliceretur vt dicit  
Il. li. xv. De hac dic Pl. v. ca. xiiij. Iudea ps  
est syrie que late longeqz funditur. que egypto  
7 arabie prima. asperis dispersa montibz. quā  
iordanis amnis perfluit. 7 galileam a ceteris iu-  
deis diuidit 7 distinguit. In iudea autem est ci-  
uitas hierosolima ciuitas clarissima vrbū oriē-  
tis. Habet autem iudea fontes calidos 7 salu-

bres. habet etiam in fine mare mortuum. quod lacus asphaltis dicitur. sic dictum eo quod nihil gignit vinum nisi bitumen. in quo nihil vivit. si si plectum fuerit aliquid vinum signat. Ab hoc lacu iordanis amnis imbibitur et laudatas perdit aquas pestilentibus immutas.

**De Iberia. Capitululum. lxxvij.**

## Iberia est regio

in asia iuxta pontum armenie iuncta. In hac nascuntur herbe que utiles sunt tincture ut dicit **Isido. li. xv.**

**De Italia. Capitululum. lxxviii.**

## Italia regio est

magna in europa a grecis populis occupata olim et ideo magna grecia appellata est ut dicit **Isi. li. xv.** deinde a rege saturno saturnia est vocata eo quod ibi saturnus a iove de suis sedibus depulsus latuit. postremo ab ytalo siculorum rege ibi regnante ytalia evocata. cuius situs longitudine amplius quam latitudine a circulo in eurum extenditur. a meridie tyreno mari. ab aquilone adriatico clauditur. ab occasu alpium iugis finitur. terra est in omnibus rebus pulcherrima. soli fertilitate. pabuli ubertate gratissima. nobiles habet lacus sicut benentum quernum atque lucrinum. multos alios fluvios nobiles. seridanum siue padum tyberim berianum et huiusmodi. gignit gemmas. s. ligurium gagatem margaritas et corallus. boam que serpentem et lincem feram et multas alias animas species singulares. Hec regio dicitur hesperia ab hespero stella sic et hispania. eo quod greci navigando in ytalam et in hispaniam considerant stellam illam. sed dicitur hesperia ultima. quia in loco ultimo sub occasu est locata. Hucusque **Isi. li. xv.** Inter omnes autem europae regiones occidentales ytalia obtinet principatum. Insulas enim habet nobiles et portus maris insignes puincias cunctis diuitiis locupletes. civitates populosissimas. muris fossatis et alijs apparatus bellicis nimis fortes. auri et argenti copiose abundantes. duodecim secundum **pli. li. ij.** famosas et potentissimas particulares preter insulas continent regiones. de quibus idem diffusius tractat. Est autem contra orientem septentrionem et occidentem altissimis alpiibus et montium iugis undique circumcincta ex quibus oriuntur nobilia flumina rhenus scilicet et danubius. que germaniam perfluunt. et rhodanus cum secana et multis alijs que galliam maxime lugdunensem. et narbonensem

et belgicam in locis pluribus circumfundunt.

**De hispania. Capitululum. lxxix.**

## Hispania prius ab

hybero amne fuit hyberia nuncupata. postea ab yspalo fluvio ut dicitur hispania est vocata. ipsa pro hesperia a stella vespertina occidentali sic fuit antiquitus nominata. Est autem sita inter africanam et europam a septentrione pyrenneis montibus clausa reliquis partibus est undique mari conclusa salubritate celi equalis. omnium frugum secunda. gemmarum et metallorum copiis ditissima. Interfluunt autem eam flumina nobilissima scilicet betis mineus yberus et tagus. et aurum trahens epactulus. Sex habet puincias scilicet terraconensem cartaginensem lusitaniam galliciam beticam et transfreta in regione africe transgitanas. Est autem duplex hispania scilicet citerior et ulterior. Hucusque **Isi. li. ix.** Dicit autem **Drosius** hispaniam uniuerso terrarum situ trigonam esse et circumfusione oceanii tyrenici pelagi pene insula efficitur. huiusmodi angulus est prior qui spectat ad orientem. et a dextris est ei aquitania puincia. a sinistris balearico mari coartatur et narbonensium finibus interferitur. Secundus eius angulus circumintendit ubi beriginacia civitas gallicie sita est ad spectaculum butanie se erigit. Tercius eius angulus est quo gades insule intente ad africanam atlantem montem interiecto sinu oceanii prospiciunt. Hucusque **Drosius**. hispaniam etiam in multis commendat **pli.** et maxime de metallis. dicit enim quod fere tota abundat auro et argento ere ferro et stanno et plumbo tam albo quam nigro. regiones habet plures. gentes multas bellicosas et fortes quarum quidam grecorum alij dicunt fuisse soboles wisigotorum et successorum. idem et dicit **Isi.** Nam multas habet puincias partiales nobis notas ut galliciam que grecam sibi vendicat originem ut dicit **Isi. li. ix.** asturiam sic dictam eo quod montibus contra austurium flumen sit ubique circumseptam. habet etiam celtiberiam a gallis celticis super yberum flumen residentiibus sic vocatam.

**De hybernia. Capitululum. lxxx.**

**H**ypernia oceanice insula in europa britannice insule vicina spacio terrarum angustior. sed situ est fecundior.

Hec ab africo in boream porrigitur vt di. **I**si. li. xv. cuius partes priores in hiberū cantabūcum oceanum tendunt. vnde etiam ab hiberō oceano est hibernia nominata. Est autem insula frumentarijs campis vt errima. fontibus 7 flumijs irrigua. pratis 7 siluis amena. in metallis fecunda 7 gemmifera. nam ibi gignitur lapis se xagonius scz iris qui soli appositus format ī aere celestem arcum. Ibi etiam inuenitur lapis q̄ gagates dicitur. Ibi margaritha candida inuenitur. Quomodo ad salutatem celi est hybernia regio valde temperata. modicus est enim ibi excessus vel nullus in frigore vel calore. lacus habet mirabiles 7 fontes. nam ibi est lacus in quo si p̄ aliquod spacium longum palus ligneus infigatur pars que est terre infixā conuertit ī ferum pars hō que est in aqua in lapidem. sed q̄ supra aquam est manet lignum. Est 7 alius lacus in quem si proicias virgas coruli conuertuntur in virgas fraxini 7 econuerso. si virgas fraxineas immiseris ī coruleas mutabuntur. Sunt ibi loca in quibus cadauera mortuorum nunq̄ putrescunt. sed ibi semp̄ p̄manent incorrupta. Est etiam in hybernia quedam insula parua ī qua homines non moriuntur. sed quādo nimio senio afficiuntur vt moriantur extra insulā deferuntur. In hybernia nullus est serpens. nulla rana. nulla aranea venenosa. imo tota t̄ra adeo est contraria venenosis vt terra inde delata et sparsa serpentes perimit 7 bufones. lana etiam hybernica 7 animalium coria fugant venenosa 7 si serpentes vl̄ bufones nauigio in hyberniaz deferantur statim moriuntur. multa alia sunt mirabilia in terra illa. de hybernia dicit Solinus Hybernia inquit est insula. que p̄rimat britannie in magnitudine inhumana incolarum ritu aspera ibi anguis nullus vl̄ nisi raro. gens in hospita 7 bellicosa. sanguine interemptorum hausto prius victores vultus suos obliniunt phas atq̄ nephas eodem loco ducunt ibi nulla apis 7 adnectum inde puluerem seu lapillos si quis sparserit inter aluearia examina fauos deserūt. mare autem hybernicum versus britanniā vntosum 7 inquietum 7 toto anno vix est nauigabile nisi paucis diebus. diffunditur autem per. cxxx. milia passuum p̄ latum zc. Hucusq̄ Solinus de mirabilibus mundi. gens hybernica ē habitu singularis 7 inculta victu parca animo seu a. vultu ferox 7 torua. affatu aspa erga suos tamē liberalis 7 affabilis ac benigna. 7 maxime illa gens que nemorosa 7 paludes inhabitāt ac montana. hec carnibus pomis 7 fructibus profesa 7 lacte. p̄ potu est contenta. gens de dita lu-

dis 7 venationi potius q̄ labori.

De ycaria.

Capitulum. lxxxj.

**I**caria est insula vna de cicladibus ab occidente que ycario mari nomen dedit. 7 iacet in e samū 7 cinthonū. p̄ saxis p̄mentibz inhospitalis est 7 nullis finibus portuosa. Dicitur autem ycaria ab ycaro cretensi qui ibi submersus est. vt dicit ysi. li. xv.

De insula in salo sita.

Capitulum. lxxxij.

**I**nsula autē ē terra mari vel flumie vndiq̄ circumdata quasi in salo sita vt di. **I**sid. li. xv. vndiq̄ aquarum fluctibz insula illiditur attamen illisa sic non frangitur. nec dissoluitur quī potius p̄ applicatōem fluctuum ad insularum ripam p̄ cōpactionem partiū terrestrium insula amplius solidatur. In extremis siquidem riparum partiū aquarum alluione aliquantulum sub corroditur 7 consumit. sed circa cetera interiora ex eius consumptōne extrinseca fortius adunatur. Insule etiam quīq̄ fluctibus 7 aquarum inundationibus cooperiuntur. 7 p̄ terre et limi cōportationem augmentant ex aque vicine circūdatione 7 humoris p̄ poros attractōne insule virescunt 7 fecundantur.

De Chartagine.

Capitulum. lxxxij.

**C**arthago nomen ē ciuitatis 7 puicie africe in hispania. 7 est duplex maior 7 minor. 7 vtrāq̄ cōdidit Dido. p̄ficicēs d̄ fenice in litore africo duplicem urbem condidit 7 eam primo carcadam lingua fenicea nominavit que sermone verso chartago vocata est. 7 ab hac ciuitate tota puincia chartago in posterum est vocata. ciuitatem autem hanc cuz fuerat nominatissima 7 non inferior roma scipio cum romanorum exercitu destruxit penitus 7 deleuit vt dicit **I**sid. li. xvj. que autem nunc ē a romanis. postea cōdita est vt dicit idem. Est autem alia chartago ī vera africa inter bizantium 7 numidiā sita a septentrione mari siculo iuncta 7 a meridie vsq̄ ad getulorum regionem porrecta cuius ps p̄xima est valde frugifera. oleis 7 fructibz valdē fecunda. metallis plena. ps hō vltior circa numidiā bestis 7 serpētibz ē puia atq̄ onagris magnis in deserto vagantibus vt dicit **I**sid. li. xv. Ibi etiā est elephantorū 7 aliarū bestiarū multitudo vt di. **O**li. li. v. ca. v.

De Carinthia. Capitulum. lxxxiij.

**C**arinthia provincia est modica germanie in europa. habens pannoniam ab oriente. ab occidente ytaliam. danubium a septentrione. dalmaciam et salmoniam a meridie. montibus in vna parte cingitur et in alia mari adriatico terminatur. et est terra fertilis in multis locis. abundantias feris pecudibus et iumentis. gens bellicosa et fortis. munita oppidis et in castris. Est autem terra propter alpium vicinitatem frigida niuibz et fluminibus frequens. vbi propter frigiditatem aquarum a niuibz solatarum circa montana plurimuz vt dicitur sunt strumosi. Ibi vni multi bisontes et alie bestie mirabiles et siluestres. ibi etiam sunt glires comestibiles qui quis videantur esse de genere murium comeduntur tamen quia carnes habent lapidas atqz pingues. Sequitur de corsica.

De corsica. Capitulum. lxxxv.

**C**orsica est insula a quodam duce sic nominata. distans a sardinia. xxx. milium freato contracta contra aspectum ytalie. Et est insula pacifica fertilissima cuius fertilitate perdidit quidam thaurus qui pabuli gratia de partibus ligurie ad illam insulam sepius transiit. nam cum quedam mulier corisa noie illum thaurum. cum alijs in litore maris regeret in armato viderat illum thaurum mare intrare et quotidie melius refectum redire ad armentum cupiens scire incognita sibi pacifica thaurum a ceteris egredientem est usque ad insulam navigio persecuta. cuius regressu fertilitatem insule cognoscens ligures namque illum perfecti sunt ea que nomine mulieris autoris et ducis insule corsicam deinceps vocauerunt. Est autem multis promuntorijs angulosa gignens letissima pabula et lapidem nobilem quem greci haccem vocant vt dicitur Ili. li. xv.

De lacedemonia. Capitulum. lxxxvi.

**L**acedemoia que alio nomine dicitur spartania in finibus grece iuxta traciam est provincia in europa cuius habitatores dicuntur lacedemones a quodam lacedemone semele filio. Hi lacedemones in bello contra messenas timentes diurnitate prelij spem plus emittere preceperunt vt eorum virgines cum inuenibz domi relictis concuberent. sic ex promiscuo virgi-

num concubitu iuuenes nati ex nota matris partus spartani vocati sunt vt dicitur Ili. li. x.

De lectonia. Capitulum. lxxxvij.

**L**ectonia scythie est provincia cuius populi lectimi sunt vocati homines robusti et fortes bellicosi et feroces. Est autem lectonia regio cuius gleba est fructifera palustris in multis locis et valde nemorosa fluminibus et aquis irrigua. feris et pecudibus valde plena. nemoribus et paludibus est munita paucas habens alias munitiones preter flumina nemora et paludes. et ideo in estate vix potest illa regio expungi sed solum in hyeme quando aque et flumina congelantur.

De liuonia. Capitulum. lxxxviii.

